

seu præscriptionis prælatis inferioribus non habentibus proprium territorium privative ad episcopum : cap. *Cum satis* 4, de Offic. Archidiaconi, ubi Alexander III Elianensi archidiacono (qui sine licentia episcopi sui committebat curam animarum, dicens hoc ex consuetudine sibi licere, prout refert Glossa in casu ibidem). Rescripsit in hæc præcisa verba : « Quoniam igitur obtentu alicujus consuetudinis non debes contra SS. Patrum Constitutiones venire, et quod ad tuum non spectat officium vindicare, mandamus ut nemini sine licentia et mandato episcopi curam præsumas committere animarum; » et sic tenent in d. cap. *Cum satis*; Abbas num. 3; Joann. Andr. ibid., num. 6 et 18; Layman notand. unic.; Fagnan. in cit. cap. *Eam te*, de ætat. et qualitat., n. 3; Azorius par. 1, lib. v, cap. 19, § *Consuetudo, item*; Pirhing, lib. 1, decretal. tit. 23, num. 13, Reiffenstuel lib. III, decretal. tit. 7, num. 38, et alii arg. cit. cap. *Cum satis* 4, de Officio Archidiaconi, et concil. Trident. sess. 7, cap. 13, de Reformat. ubi statuit nullos clericos posse institui, etiam prætextu « cujusvis privilegii seu consuetudinis etiam ab immemorabili tempore præscriptæ, nisi fuerint prius a locorum ordinariis examinati et idonei reperti; » unde patet nulla consuetudine introduci posse ut in ecclesiis episcopo subjectis, sine ejusdem approbatione ab aliquo prælato inferiori instituatur clericus ad curam animarum; quidquid in contrarium sentiat Barbosa de Offic. et Potest. Episc., part. III, allegat. 72, num. 185, et nonnulli alii ab ipso citati, et post ipsum Engel lib. III, decretal., tit. 7, n. 8.

(27. Institutio corporalis, seu realis, vulgo *investitura* seu *installatio*, spectato jure communi, spectat ad archidiaconum, textu expresso in cap. *Ad hæc* 7, § *in quadam*, de Officio Archidiaconi, ibi : *Institutio corporalis tam super beneficiis quam etiam dignitatibus ad ipsum* (archidiaconum) *debet pertinere* (28. Dicitur autem notanter, *spectato jure communi*, quia ex consuetudine tale jus est archidiacono sublatum, et episcopo etiam adjudicatum, ut fere ubique institutio corporalis seu investitura in beneficiis jam pertineat ad episcopum vel delegatum ab eo : arg. cap. *Licet Episcopus* 28 de præbend. in 6; Gonzal. in cit. cap. *Cum satis*, de Officio Archidiaconi, num. 3; Barbosa de Dignitatib., cap. 5, num. 3; cardin. Petra tom. V, comment. in Constitutione 4, Callisti III, num. 123; Covarruv. lib. III, variar. resolut. cap. 16, num. 7, vers. *Tertius casus*; Engel lib. III, decretal. tit. 7, num. 5; Reiffenstuel ibidem, num. 44, et alii passim.

(29. Is ad quem spectat collatio beneficii non potest seipsum instituere : *Communis*, textu expresso in cap. *Cum ad nostram* 7, de Institutionibus, assignata ratione : *Cum interdantem et accipientem debeat esse distinctio personalis* (30. Imo is ad quem spectat collatio beneficii nec ab alio a se delegato potest institui : *Communis*, textu expresso in cit. cap. *Cum ad nostram*, ibi : *Sed nec ab*

alio beneficium recipere potuit, cum jus conferendi alius non haberet; delegatus enim non confert jure proprio; sed jure aut auctoritate delegantis, cujus personam representat ac vices gerit, et ideo in effectu delegans sibi ipsi conferret beneficium; et se ipsum institueret, nam, ut dicitur in cap. *Qui facit* 72, de Regul. Juris in 6, *Qui facit per alium est perinde ac si faciat per se ipsum*.

(31. In beneficiis ecclesiasticis laici non possunt institui, sed soli clerici : *Communis*, arg. cap. *In ecclesia vestra* 2, de Institutionib., ibi : *Cum laici non debeant in canonicorum numero computari*. Et adeo excluduntur laici, ut sine speciali dispensatione apostolica nequeant institui; nec sufficiat si post institutionem in beneficio, vel etiam collationem ipsius fiant clerici suscipiendo primam tonsuram arg. cap. *Ex litteris* 6, de Transactionibus; et notat glossa fin. et Abbas ibid., num. 3, et alii communiter. (32. Clerici possunt institui in beneficiis certum ordinem sacrum requirentibus, licet istum nondum habeant, dummodo intra tempus a jure statutum possint ad requisitum sacrum ordinem promoveri, et alias sint idonei : *Communis*, textu expresso in cap. *Si is* 2, de Instit. in 6, ibi; « Si is ad quem rectoris præsentatio in aliqua parochiali ecclesia noscitur pertinere, quempiam non constitutum in sacris præsentet ad eam, ipsum (dummodo alias sit idoneus, et infra tempus a jure statutum ad ordines quos ipse Ecclesiæ cura requirit, valeat promoveri) decernimus admittendum. »

(33. Tempus institutionis præsentatorum faciendæ in beneficiis non reperitur a jure præfixum et determinatum, dummodo non diu differatur : *Communis* cum Corrad. c. 7, n. 11; Lotter, q. 13, n. 59; Pirhing lib. III, decretal. tit. 7, n. 9; Garcia part. x, de Benefic., part. IV, n. 1, et Rota in Dertonens. Juris Patronatus 8 Febr. 1599, coram D. Penna, in qua fuit dictum quod beneficium non est devolutum ex eo quod ordinarius distulerit instituere, cum non sit tempus præfixum, etc., ut ex Garcia refert et tenet Reiffenstuel. lib. III, decret. tit. 7, n. 73, et Barbosa de Offic. et Potest. Episcop., part. III, allegat. 72, num. 191, ubi allegat etiam Rotam dec. 4, de Jure patr. in noviss. (34. Si autem habens potestatem instituendi præsentatos sit negligens aut plus æquo differat, seu penitus recuset instituere, tunc recurrendum est ad superiorem, v. g. ad archiepiscopum, qui episcopo præfigat certum tempus ad instituendum, quo elapso ipse archiepiscopus potest supplere, vel compellendo episcopum ad instituendum, vel ipsemet instituendo præsentatum, ne ex diuturniori vacatione beneficiorum ac defectu rectorum, ecclesiæ vacantes diutius patiantur in divinis, aut aliquod grave dispendium patiantur in facultatibus suis, et si sint curatæ, grave periculum imminet animarum, ut dicitur in cap. *Ne pro defectu* 41, de elect.; et sic tenent doctores passim, cum Reiffenstuel loc. cit., num. 74; Anto-

nell. de tempor. legal., lib. III, cap. 17, num. 2; Barbosa loc. cit. Ob quam causam S. Pius V constit. incip. *In conferendis* statuit ut in parochialibus cujuscunque juris patronatus institutio fiat intra bimestre a die præsentationis computandum, quo tempore « Ordinariis (sunt verba bullæ, § 4.) institutionem facere negligentibus, possint patroni pro hujusmodi institutione obtinenda habere recursum ad metropolitanum vel viciniorum ordinarium, aut Sedem apostolicam; » Antonell. de tempore legali, lib. III, c. 17, num. 3; Reiffenstuel loc. cit. n. 74; Pax Jordan. tom. II, de Re Benefic., lib. x, tit. 7, de Jure patronat., num. 406, et alii communiter. Castropalao autem apud La Croix .ib. IV, n. 167, dicit fieri non debere institutionem durante tempore concesso ad præsentandum : tum quia laicus interea potest variare, tum maxime quia posset alius interea prætereire et probare jus præsentandi.

(35. Ritus seu modi realiter et corporaliter instituendi seu investiendi in beneficiis solent esse varii pro diversitate locorum, ut notant Engel lib. III, decretal. tit. 7, num. 5 et 6; Pirhing. ibid., n. 1; Zoesius ibid., n. 4; Reiffenst. ibid., n. 49; Sannig eod. tit., c. 2, n. 4, et alii. Unde in praxi expedit laudabiles cujuslibet loci consuetudines et ritus realiter seu corporaliter instituendi vel investiendi in beneficiis ab antiquo usitatos observare; arg. cap. *Cum tanto* 11, de consuetudine. (36. Institutus quoad titulum in beneficio, quamvis non possit ejus possessionem capere propria et sola sua auctoritate, accedente tamen consensu seu licentia legitimi superioris volentis tradere possessionem corporalem, potest eam capere nullo alio eum introducente in ipsam, ut passim fatentur doctores, eo quod jam interveniat auctoritas superioris : Abbas in cap. *Auctoritate* 4, de Institutionibus; Covarr. Variar. resolut., lib. III, c. 16, num. 7; Rebuffus in praxi Beneficior. tit. de missione in possess., num. 6; Layman in cap. *Nosti*, num. 4, de election.; Engel lib. III, decretal. tit. 7, num. 5; Reiffenstuel ibid., num. 52; Jul. Clar. in § *Feudum*, q. 26, num. 1; Jason. l. *Si ex stipulatione*, num. 5, ff. de acquirenda possess., et alii. Et observatur passim pro beneficiis erectis in ecclesiis regularium, pro quorum possessione sufficit legitima institutio, seu respective legitima collatio nullo alio introducente, maxime cum rerum possessio possit etiam acquiri traditione scripturæ, aut instrumenti in quo jus tradentis continetur, per textum in l. 1. Cod. de donationibus, ubi dicitur quod qui tradit instrumentum videtur tradere possessionem rei.

(37. Instituens potest gratificari, quando duo ab eodem patrono laico præsentati sunt æque digni, textu expresso in cap. *num autem* 24, de Jure patrôn. (38. Quando plures patroni diversos æquali numero suffragiorum præsentant, si moniti nolint consentire in unum, et episcopum neutrum ex præsentatis possit instituere absque atroci

scandalo facti, tunc potest episcopus gratificari uni, et tertium aliquem eligere. Lotter. q. 6, cum. 27; La Croix l. 4, n. 364, cum variis aliis. (39. Institutio potest fieri extra dioccesim vel territorium instituentis, cum sit actus voluntarius et extrajudicialis; Garcias, Gonzalez, Leurenus, et alii cum La Croix, loc. cit., n. 366.

ADDITIONES EX ALIENA MANU.

(40. In foundationibus post *concilium Tridentinum* factis haud posse institutionem reservari inferiori carenti ordinaria jurisdictione, præter allegatos ab auctore n. 19, recte firmavit Rota cor. Molin. decis. 158, n. 5, et sequent., (41. licet de hoc dubitasse videatur postmodum idem supremum tribunal in Colonien. Vicariæ de Butgen 9 Martii 1750, § 8, coram reveren. P. D. Canilliac.

(42. Et ut probe monuit Rota coram Molino dicta decis. 158, num. 7 et 8, concilium Tridentinum dum sess. 14, cap. 13, de Reformat. vetat in foundationibus reservari institutionem inferiori carenti jurisdictione ordinaria, intelligendum est non de institutione auctorizabili, sed de institutione collativa.

(43. Institutionem auctorizabilem, *vicario tamen nomine episcopi*, competere etiam posse præscriptione prælato inferiori, qui careat territorio separato, jurisdictionem vero ordinariam habeat contra quam tenet auctor, num. 16, firmavit pluries Rota, et siguanter in Burgen. Jurisdictionis S. Joannis super territorio separato, 10 Decembr. 1725, § 13, et 2 Junii 1726, § 10, cor. bon. mem. Cerro; et 9 Januarii 1728, § 16, cor. bon. mem. Ratt. inter pressas dec. 163, num. 23; et 28 Martii 1735, § 16, et 20 Januarii 1737, § 12, cor. Rev. P. D. Bussio Decano; et 16 Maii 1738, § 15, cor. clar. mem. Calcagnin. (44. Atque hinc tenuit in mox allegatis decisionibus, auctorizabilem institutionem argumentum haud præbere territorii separati.

(45. Quando processum ab ordinario dici debeat potius per viam institutionis quam gratificationis, vel e contra, vide apud Rot. in Majoricens. Beneficium 4 Decembr. 1744, cor. bon. mem. Vicecomite, in Colonien. Personatus; 14 Februar. 1746, cor. R. P. D. Canilliac; et 13 Martii 1747, cor. bon. mem. Vicecomit.; et 29 Januar. 1747, cor. *Illustriss. Molino*.

ADDITIONES CASINENSES.

« Respectu juris instituendi ad beneficium de jur. patronatus, quod competere non possit, nisi episcopo aut alteri qui habeat jurisdictionem episcopalem cum territorio separato, habemus dispositionem concil. Trident. sess. 14, cap. 12, de Reformat., ubi disponitur quod jus instituendi in beneficiis de jur. patronat. non possit alteri quam episcopo reservari, etiam in limine foundationis. » Piton. alleg. 41, num. 9 et 10, de contro. Patron.

Circa vero formam provisionis, illud ex

d. Trident. cap. 13, sess. 7, de Reformat. scitissimum est, in beneficiis utcumque simplicibus præsentatos, seu electos, vel nominatos a quibusvis ecclesiasticis personis, etiam Apost. Sedis nuntiis, non debere institui, neque confirmari neque admitti, etiam prætextu cujusvis privilegii vel consuetudinis, etiam immemorialis, nisi prius fuerint ab ordinariis examinati et idonei reperti. Quod si institutio ad inferiores pertineat (nempe ex fundatione ante cit. concilium, vel ex immemorabili), præsentatos, etiam a patronis laicis, in beneficiis simplicibus juris patronatus, ab episcopo prius examinari et approbari debere, alias institutio ab inferioribus facta esset nulla, ex eod. concil., sess. 25, cap. 9, de Reformat., compertum habemus.

Ubi vero institutio ad episcopum pertinet, in præsentatis a Patronis laicis in ejus-

INSTRUCTIO PAROCHORUM, ET ALIORUM CONFESSARIORUM.

SUMMARIUM.

1. Afferitur finis ob quem traditur hæc brevis instructio. — 2. Assignatur quid in primis agere debeant parochi alique confessarii ad quos accesserint pœnitentes cum casibus ad sacram pœnitentiarum spectantibus. — 3. Traditur formula scribendi eminentissimo cardinali majori pœnitentiario pro dictis casibus. — 4. Explicatur et demonstratur quomodo sit intelligenda et in variis casibus concipienda dicta formula. — 5. Afferuntur exemplaria aliqua pro recursu in dictis casibus, ad n. 6. — 7. Dicta exemplaria inservire possunt, variatis variandis, pro omnibus aliis casibus qui in dies occurrere possunt. — 8. Adducitur forma litterarum dispensationis super impedimento occulto affinitatis post contractum matrimonium. — 9. Quomodo sit intelligenda prima clausula ipsius formulæ. — 10. Quomodo intelligenda secunda. — 11. Quomodo tertia. — 12. Quomodo quarta. — 13. Quomodo quinta. — 14. Quomodo sexta. — 15. Quomodo septima, ad n. 16. — 17. Quomodo octava. — 18. Quomodo nona. — 19. Quomodo decima ubi, quod pars inscia nullitatis matrimonii debet certiorari. — 20. Non est tamen necesse quod certioratur de causa nullitatis. — 21. Alii volunt quod non sit necesse quod pars inscia certioratur de nullitate matrimonii. — 22. Assignatur pro nostra veriori et tutiori sententia aptissimus modus, qui inservire potest ad sufficienter insinuandam parti insciæ nullitatem matrimonii, et ad evitaanda mala quæ inde

(1. Cum sæpe contingat pœnitentes censuris, irregularitatibus, votorum obligationibus, matrimoniorum impedimentis, aliisque hujusmodi casibus reservatis ad sacram Pœnitentiarum seu sanctam Apostolicam Sedem spectantibus, irretitos accedere ad parochos seu confessarios qui, præsertim in pagis aut locis ruralibus, viam ac modum recurrendi ad dictam sacram Pœnitentiarum non plene et plane sciunt; indeque ipsis pœnitentibus non parva ac pauca mala et incommoda obveniant, ad ipsa evitaanda traditur hic brevis instructio qua omnibus prædictis recurrendi modus ac via explanatur.

(2. Parochi igitur alique confessarii ad quos similes pœnitentes accesserint, debent ipsos diligentissime examinare circa causas omnesque circumstantias suorum casuum; ipsisque benè perceptis ac caute perpensis,

modi beneficiis simplicibus juris patronatus non requiritur examen necessario; sed in arbitrio episcopi reliquit Tridentinum eodem examini subicere nec ne, per illa verba: « Ad hæc liceat episcopo præsentatos a Patronis, si idonei non fuerint, repellere. » Sic docet Garcias, de benef., part. ix, cap. 3, num. 9. — * Episcopus electos a Patronis potest examinare, et si non fuerint idonei, non tamen si idonei fuerint, conceditur libertas eos repellendi, » ait Barbosa ad concil. Trident. sess. 25, de Reformat., cap. 9, n. 74. In provisione vero beneficiorum juris patronatus misti, an examen a concilio Trident. in cit., cap. 13, sess. 7, de Reformat., præscriptum requiratur: vide Garciam loc. cit., ubi affirmativam videtur sustinere. Cætera remissive sub v. *Jus patronat.*, et v. *Scientia in Beneficiariis.*

oriri possent. — 23. Alii ab aliis adducuntur modi in quibus omnibus tamen semper requiritur, quod consensus pro novo matrimonio debeat præstari de præsentati et in præsentati. — 24. Talis revalidatio matrimonii non est necesse, quod fiat coram parochio et testibus. — 25. Quomodo sit intelligenda undecima clausula. — 26. Quomodo duodecima. — 27. Quomodo tertia decima. — 28. Quomodo quarta decima. — 29. Quomodo quinta decima. — 30. Quomodo sexta decima. — 31. Clausula gratis ubique, solita a tergo inscribi, quid importet. — 32. Adducitur formula absolutionis dandæ, et dispensationis exsequendæ super dicto impedimento occulto affinitatis ex copula illicita proveniente ad remanendum in matrimonio contracto. — 33. Confessarius potest absolvere et dispensare pœnitentem, quamvis ante executionem dispensationis obtentæ iterum copulam illicitam habuerit cum eadem sorore femina, quam ducere intendit. — 34. Secus autem esset dicendum si post obtentam ipsam dispensationem nondum exsecutam, dictus pœnitens iterum copulam haberet, non cum eadem dicta sorore, sed cum alia persona intra secundum gradum conjuncta femina, quam ducere intendit. — 35. Dispensatio concessa, seu gratia facta a Pœnitentiaria seu majori pœnitentiario non expirat morte Pontificis, etiam re integræ. Et si major pœnitentiarius, alique pœnitentiarii, Sede Romana vacante, moriantur, alii subrogantur a collegio cardinalium.

poterunt casus plene cum omnibus suis causis et circumstantiis expressos, reticito tamen nomine et cognomine pœnitentis, scribere per simplex NN. in charta quocunque idioma, sive latino, sive vulgari, ac nativo propriæ regionis, cum sacra Pœnitentiaria suos ex quacumque regione pœnitentiarum subordinatos habeat: debebuntque in fine perfectæ expositionis casus significare modum et viam per quam a sacra Pœnitentiaria responsio secunda dirigi possit: notando videlicet oppidum, seu civitatem, dioccesim, et provinciam cum expressione nominis et cognominis cui sit rescribendum; quamvis tale nomen et cognomen sit fictitium, et casum sic expressum, cum data diei, mensis, et anni, poterunt directe per postam seu communem publicum tabellarium, mittere Romam eminentissimo

majori pœnitentiario, in hunc modum.

Eminentissime et Reverendissime domine,

(3. NN. conscius (vel ignarus) impedimenti, contraxit in facie Ecclesiæ matrimonium cum muliere cujus matrem, aut filiam, seu sororem prius carnaliter cognovit. Quare cum absque scandalo separari non possint, et impedimentum sit occultum, humillime supplicat pro absolutionis et dispensationis remedio. Dignetur Eminentia Vestra rescribere NN. in civitate N. Interim orator ad Eminentiam Vestram pedes humiliter provolutus, et pro ejusdem incolumitate precans, silet. N., die 20 Jan. 1744.

(4. Advertendum hic est, quod loco NN. debet exprimi nomen et cognomen, quamvis fictitium illius cui a sacra Pœnitentiaria est scribendum, et loco in Civitate N. debet exprimi nomen civitatis seu oppidi, et pro majori facilitate exprimi etiam cujus sit diocesis et provinciæ. Et insuper valde expedit ut in epistola supplicetur quod eminentissimus pœnitentiarius dignetur dirigere breve seu gratiam simplici confessario ex approbatis ab ordinario, maxime si in tali loco desint confessarii magistri in sacra theologia, seu Decretorum aut in jure canonico doctores, aut alii ad id privilegiati; vel si tales adsint, non possit de facili induci pœnitens ad eis suam aperiendam conscientiam, et tandem, ut supra concepta, et scripta epistola, seu supplicatio debet dirigi cum hac externa seu a foris inscriptione.

Eminentissimo et Reverendissimo domino Cardinali Majori Pœnitentiario. Romam.

(5. NN. vir laicus, seu femina libera emisit simplex votum castitatis perpetuæ, sed cum adsit, vel futurum esse prævideat periculum incontinentiæ, nisi nubat, supplicat sibi votum commutari ad effectum contrahendi matrimonium. Dignetur Eminentia Vestra rescribere Caio Pamphilio presbytero confessario, in civitate Cremonæ provinciæ et status Mediolanensis, seu fracti Francisco Rubeo, a Turricella, sacerdoti professo Ordinis Minorum, in conventu S. Bernardini Alexandriæ, provinciæ Mediolanensis et ditionis ducis Sabaudia, regis Sardinia, etc. Interim orator ad Eminentiam vestram pedes, etc. ut supra num. 3.

(6. NN. sacerdos contraxit excommunicationem et irregularitatem ex homicidio occulto ab eo ob talem vel talem causam, clam, tali modo patratum aut procuratum, in persona hominis diaconi, seu sacerdotis secularis, aut regularis, et ex tunc, vitandi scandali causa, vel ne se proderet, semper libere, ut prius, continuavit in exercitio ordinum, aut abstinuit: sed cum diu absque scandalo abstinere non possit, humillime supplicat pro remedio. Dignetur Eminentia Vestra, etc., ut sup. n. 5.

(7. Et hæc adducta supplicationum exemplaria possunt, variatis variandis, inservire pro omnibus aliis casibus qui in dies possunt occurrere. Unde poterunt confessarii, seu pœnitentes, ipsis dictis exemplaribus instru-

cti, pro quocunque simili occulto casu consimiles supplicationes, tute et fidenter ad eminentissimum majorem pœnitentiarium Romanam dirigere. Et si forte aliquando responsio tardaverit, iterum rescribere, ne forte prior epistola deperdita fuerit, sic firmiter certi, quod ad ipsum perventa eorum epistola, statim, gratis providebitur de opportuno remedio, quod solet expediri tenore sequentis formulæ.

(8. N. tituli S... sanctæ Romanæ Ecclesiæ presbyter cardinalis discreto viro confessori, magistro in s. theologia, vel decretorum doctori ex approbatis ab ordinario, per latorem præsentium ad infrascripta specialiter eligendo, salutem in Domino. « Ex parte latoris præsentium nobis oblata petitio continebat, quod ipse alias matrimonium cum muliere cujus sororem antea carnaliter cognoverat, publice in facie Ecclesiæ contraxit, et successive consummavit; cum autem, sicuti eadem petitio subjungebat, lator prædictus ob impedimentum ex præmissis proveniens, in dicto matrimonio remanere nequeat absque Apostolicæ Sedis dispensatione, ad evitaanda scandala quæ, si divortium fieret inter eos, verosimiliter oriri possunt, ac pro suæ conscientia quiete, cupit a præmissis, quæ sunt occulta, et de quibus plurimum dolet, absolvi, secumque desuper dispensari. Quare supplicavit humiliter ut sibi super hoc de opportuno remedio providere dignemur. Nos itaque, qui Pœnitentiariæ Domini PP. curam gerimus, hujusmodi supplicationibus inclinati auctoritate apostolica specialiter nobis concessa, discretionis tuæ committimus quatenus, si est ita, dictum latorem, audita prius ejus sacramentali confessione, ac sublata occasione, si qua adhuc exstat, amplius cum dicta sorore peccandi, a quibusvis sententiis, censuris, et pœnis ecclesiasticis, quas propter præmissa quomodolibet incurrit, ab incestu et excessibus hujusmodi absolvas hac vice in forma Ecclesiæ consueta, injuncta inde ei pro tam enormis libidinis excessu gravi pœnitentia salutari, ac confessione sacramentali peccatorum suorum singulis scilicet mensibus, ut minimum semel, aut quoties tibi videbitur; et aliis quæ de jure fuerint injungenda. Demum, dummodo impedimentum præfatum sit occultum, et separatio inter latorem et præfatam mulierem fieri non possit absque scandalo, ex cohabitatione vero de incontinentia probabiliter timendum tibi visum fuerit, aliudque canonicum non obstat impedimentum, cum eodem latore et dicta muliere de nullitate prioris consensus certiorata, sed ita caute, ut latoris delictum nusquam detegatur matrimonium cum eadem, et uterque inter sede novo secrete ad vitanda scandala, præmissis non obstantibus contrahere, et in eo postmodum remanere licite valeant, misericorditer dispenses, prolem susceptam, si qua sit, et suscipiendam exinde legitimam decernendo in foro conscientia et in ipso actu sacramentalis confessionis tantum et non aliter, neque ullo modo; ita quod hujusmodi absolutio et dispensatio latori in foro judiciario nul-